

Handwritten text on the right edge of the page, including numbers and symbols, partially visible from the adjacent page.



727.

19

1632, 4.

x

D. O. M. A.
 DISPUTATIO JURIDICA
DE JURE JURANDO
 LITIS DECISORIO.

QUAM

*In florentissimâ Argentoraten-
 si Academiâ,*

P R Æ S I D E

V I R O

Amplissimo & Consultissimo,

DN. GEORGIO-DAVIDE

LOCAMERO, J. U. D. ET P. P. Præ-
 ceptore ac Fautore suo æternum
 colendo,

In Auditorio Ictorum addiem 20. Decembr.

Publicæ disquisitioni proponit

JOHANNES KEMPIUS,
 Lengfendens. Misnicus.

ARGENTORATI

Typis J O H A N N I S R E P P I,

Anno M. DC. XXXII.



de de de de de de de ; de de de de de de de ; de de de de de de de de de de
de de de de de de de ; de de de de de de de ; de de de de de de de de de de

NOBILISSIMIS ET AM-
PLISSIMIS VIRIS,

DN. STEPHANO MOSLEHNERO, Sacrae Cæs. Regiæque
Majestatis in Camera Novifolienfi Administro meritissimo.

DN. GEORGIO ROTH, Sacrae Cæs. Regiæque Majestatis
apud Cameram Novifolienfem à secretis dignissimo.

NEC NON

Admodum Reverendo, Excellentissimis Clarissimisque Viris,

DN. JOHANNI PINNERIO, Pastori Ecclesiæ ibid. supre-
mo & Gymnasiarchæ vigilantissimo.

DN. JOANNI DUCHONI, P. L. C. Gymnasii Rectori lauda-
tissimo.

Item

Nobilissimis, Clarissimis ac Prudentissimis Viris,

DN. JOHANNI RHEIL, Philos. ac Medicinæ Doctori &
Reipubl. Novisol. Senatori spectatissimo.

DN. JACOBO KAMMACHERO, ejusd. Reipubl. Syndico
ac Senatori integerrimo.

DN. BALTHASARO FRISOWIZIO } *Ciuitibus Schemni-*
DN. TOBIÆ PESTELUTZIO } *cen sumptuaris.*

Nobilibus, item ac eruditis Iuuenibus,


DN. MICHAELI JOANNI MOSLEHNERO } *Bonis literis p. t.*
DN. HIERONYMO HAIDT } *strenuè ac laus-*
DN. MATHIÆ MOSLEHNERO } *da liter ope-*
} *rantibus.*

Dnn. suis Patronis, Præceptoris, Fautoribus ac Promo-
toribus summissâ animi obseruantia suspicien-
dis, colendis.

Conatum hunc Academicum obseruantia debitaque
gratitudinis declaranda causâ, nec non ulterio-
ris affectus conciliandi conseruandique ergo


D. D.

Auctor & Respondens.



P R Æ L O Q U I U M.

Afflictis jam pro dolor! celebrioribus Germania^e urbibus laceratisque nobilissimis optimarū artium officinis, ipsi jam alumni literis mansuetioribus consecrati, in eis etiam Academiis, quas divina clementia ab hostium in sectationibus illibatas ad hanc usque diem præstitit, supremam Martis manū queritari incipiunt, dum scilicet benignitate & paternâ & alienâ, partim flammâ ferroq; jam extinctâ, partim commerciorum interclusione retardatâ frui, quando usus venit, non licet. Quam fortunæ iniquitatem & ego cum aliis non paucis non sine perturbatione experior. Tali verò de causâ Athenas hasce Argentoratensium tranquillas florentissimasq; deserere coactus, absque specimine diligentia^e in studio Juridico non ita pridem quidem inchoato, Patrono meo munificentissimo exhibendo, discedere minus decorum duxi. Et quamquam diu multumque anceps timidusque hæserim, persuasit tamen tandem animus, pugnam semel in relicet viribus meis impari tentare, quàm animo abjecto prorsus detrectare. Quapropter Disputationū hanc de JURURANDO LITIS DECISORIO, ad ingeniū quidem (veniâ spero sacris juris Justinianeⁱ operantium) Evergetæ mei, lo-
cique illius pro ingenii mei tenuitate concinnatam, amicis oculis & æquis judiciis ad contemplandum examinandū-
que proponam. Ad te ergo, supreme Juramenti justitiæque Auctor ac vindex, oculos animumque flecto, Tu mentem, linguam, tu moderare meam!



T H E S I S I.

Jusjurandum in genere est religiosa quædam Deo teste facta affirmatio. Definitio est Dn. Præsidis *indictatis publicis ad Tit. hunc de Jurejurando*. Conveniēs illi, quam ponit Joan. Kitionich de Kozthanieza. Nobilissimus quondam causarum Regalium Director & Sacræ Regni Hungariæ Coronæ Fiscalis: Jusjurandum est affirmatio vel negatio sacræ rei, attestazione firmata. *Process. judiciar. c. 6. quæst. 13.* In specie descriptio, quæ hujus loci est, desumi potest ex *l. 1. D. h. t.* Jusjurandum est remedium, quo lites expediuntur. Sive, certa litis definitio, quæ fit cum obtestatione divinâ. *Cujac. in parat. D. h. t.*

2. Dicitur Jusjurandum ex eo, quod jurari justum tantum oporteat. nam juramentum tres habet comites: Veritatem, justitiam & judicium, & si horum quod deficit, non est servandum. *ut not. gloss in auth. quod eis. C. de Nupt.*

3. Jusjurandum vocatur juramentum. *l. 34 § 5. D. de Jurejur. l. 25 § 3. D. de Probat.* jus sacratum, *Cujac. paratit. C. de reb. credit. hinc Virgil. lib. 2. Aeneid.*

Fas mihi Grajorum sacrata resolvere jura:
nominatur sacramentum. *l. 11, 12, 13. C. de reb. cred. & jurejur.* Religio à religandis mentibus: secundum Julium Frontinum, quod jusjurandum timorem & metum jurantibus iniiciat. *l. 8. D. de Condit. Instit. l. 1 C. de Jurejur propter calum.*

4. Definitur jusjurandum affirmatio religiosa, quia est invocatio, qua petimus ut Deus sit testis nostræ asseverationis, *Cic lib 3 offic. & puniat fallentes.* Hinc quaeritur: an propriâ superstitione juratum, pro juramento sit habendum? *Aff. per l. 5. § 1. D. de Jurejur.* superstitio pro religione & sectas

& secta Religionis cujusque hinc sumitur, ut sit sensus: juramentum cujuscunque sectæ & religionis sit, inter eos qui ita juraverint, ratum haberi oportere. & breviter: propria superstitio, jurantem eo casu vel obligat vel absolvit. Verba sunt Gothofredi *ad d. l. 5. §. 1.* Eleganter ac nervosè hac de re Hugo Grotius: si quis per falsos Deos juraverit, obligabitur: quia quanquam sub falsis notis, generali tamen complexione Numen intuetur: ideoque Deus verus, si pejeratum sit, in suam injuriam id factum interpretatur. *lib. 2. c. 13. de I. bell. & Pac.*

5. Jusjurandum, quod ad propositum attinet, in rubrica Digestorum dividitur, quod aliud sit voluntarium, Necessarium aliud, aliud judiciale. Quæ appellationes, quoniam nusquam alibi in toto corpore juris extant, occasionem præbuerunt Interpretibus, ut in varias abirent explicationes, ex quibus licet probabilior illa sit, quæ Voluntarium dicitur, quod utriusque partis consensu præstatur: Necessarium, quod sine conventionione adversarius infert: Judiciale, quod judex defert. Quæ sententia est Hotomanni *in Epitom. h. t. ex Scholio Theodori Balsamonis* tamen, cum secundum communes magis intellectus loquendum, vulgarem latinorum interpretationem retinemus.

6. Voluntarium igitur est, quod pars parti ex conventionione extra judicium defert. Vocatur voluntarium quod ex libera conventionione partium uni ab altero defertur. *l. 17. princ. & l. 28. §. ult. h. t.* nominatur quoque conventionionale.

7. Hoc semel susceptum non refertur. *per d. l. 17. D. h. t.* quia conventio quæ prius placuit ut is juraret, servanda, neque perjurio postea detecto retractatur. *l. 31. in fin. D. h. t. l. 1. C. eod.* revocari tamen ejus delatio potest. *l. 11. C. eod.* si nimirum tempestivè & re adhuc integrâ fiat. *d. l. 11.* Quod si

intra tempus de quo convenit, reus, cui id delatum fuit, non juraverit, nec remissum ei jusjurandum fuerit, delatio ei postea non proderit. *l. 5. §. ult. D. de Jurejur. sin delatum jusjurandum ei remissum fuerit, cum jurare paratus esset, tunc remissio ei illa proderit, & habebitur perinde ac si juratum esset. d. l. 5. §. ult.*

8. Necessarium est quod à judice in causis dubiis ob defectum probationis uni ex litigatoribus imponitur. Sic vocatur, quod regulariter judicis præceptum necessitatem præstandi importet, adeò, ut qui recusat, quasi confessus condemnandus sit: salvâ tamen appellatione. *l. 12. §. 2. C. de Reb. cred. & jurejur.*

9. Judex in causis majoribus & magnæ quantitatis non defert jusjurandum necessarium, sed in levioribus. *Tholos. syntag. jur. univ. l. 50. c. 6.* Idem sibi cavere studeat, ne temerarius aut nimium facilis in deferendo hoc jurejurando inveniatur, sed probè inquiret, an ille cui delaturus sit, probatæ fidei ac honestæ famæ vir audiat. Quod si verò cuidam detulerit, à quo levi & temerario animo id suscipi animadvertit, nondum præstitum, revocare poterit. *l. 14 D. de rejudic.*

10. Locus est huic sacramento non in omnibus promiscuè causis, sed civilibus. In criminalibus aliisque gravioribus, ubi probationes justæ & luce meridianâ clariores requiruntur. *l. fin. C. de Probat.* huic jurijurando non est locus. Præterquam, quòd vulgò traditum sit, si accusator intentionem suam aliquammodo non semiplenè implevit, ita ut reus verisimilibus conjecturis sit gravatus, tùm judicem posse purgationis jusjurandum reo deferre.

11. Judiciale est quod pars parti defert in judicio, judice approbante. *l. 12. §. 1. C. de Reb. credit. & jurejur. & l. 3. princ. D. h. t.* Appellatur judiciale tum ratione loci, *arg. l. 11. D. de I. & I. tùm respectu ipsius judicis.*

12. Sacramentum hoc, nisi iusta recusandi causa ob-
stet, omnibus suscipiendum est. *l. 34. §. 6. & 7. D. h. t.* Manife-
stæ enim turpitudinis & confessionis est, nolle nec jurare,
nec jusjurandum referre. *l. 38. D. h. t.*

13. Jusjurandum litis decisorium deferre possunt,
qui non vel naturâ vel lege prohibentur.

14. Naturâ prohibetur infans. *§. 9. Instit. de Inutil. sti-
Pul. l. 26 princ. D. de Jurejur. l. 1. §. impuberes. C. de Fals. monet.
furiosus. l. 5. de Reg. jur. d. §. 9. Inst. de inutil. stipul. §. 1. Instit. quib.
non est permiss. fac. test. §. furiosus. 8. Instit. de inutil. stip. pupillus.
l. 17. §. 1. D. h. t. l. 189. D. de R. 1.* In Jure Hungarico Consuetu-
dinario juramentum pupillo præstandum delatum ad pri-
mum annum legitimæ ætatis prorogatur. *Trip. part. 1. tit. 130.*

15. Lege arcentur à jurisjurandi religione filiusfa-
miliâs, qui sine speciali mandato in re patris jusjurandum
non defert. *l. nec filius. 7. C. de Reb. credit. & jurejur.* In re au-
tem peculiari liberam peculii administrationem habens
jusjurandum deferre potest. *l. 22. D. h. t.*; prodigus, delaturus
jusjurand. audiendus non est. *l. 35. §. 1. D. h. t.*; & denique fer-
vus peculii administrationem non habens. *l. 20, 21. D. de ju-
rejurand.*

16. Potestas autem jusjurandum deferendi permit-
titur non modò judici. *l. 1. 31. D. h. t. l. 3. l. 12. princ. C. eod.* qui
tamen in criminalibus in supplementum probationis jus-
jurandum deferre prohibetur. *argum. l. 20. D. de Quest. vid.
Borcholt. d. jurejur. c. 5.*, sed & tutori & curator. *l. 17. §. 2. D. h. t.*
tutorem enim pupilli omnibus probationibus aliis defi-
cientibus jusjurandum deferentem audiendum esse, *l. 35.
princ. D. h. t.* confirmat.

17. Eandem jusjurandum exigendi potestatem ha-
bet defensor municipum super hoc mandato accepto. *l. 34.
§. 1. D. h. t. fac. l. 60. D. de Procurat.* Ex hoc quæritur: an Syn-
dicus,

dicus, si Collegio seu Communitati iurandum sit, eius nomine jurare possit. Neg. Verum è senioribus illius municipii, delecti aliquot, quibus verisimiliter de re vel causa super qua iuramentum præstandum, constet, sacramentum religionis deponunt. *arg. l. municip. 97. D. de Condit. & demonstrat. l. municipes. 14. ad municipal.*

18. Ad numerum sacramentum deferentium referendus quoque procurator, si scilicet ad hoc (1) speciale mandatum habeat, (2) si datus in rem suam (3) si libera & generali commissione seu administratione sit instructus. *l. 17. §. 3. D. h. t. Damhoud. prax. civil. c. 179. num. 13.* Nec agens actione populari. *l. 30. §. 3. D. h. t.* neque correi stipulandi à iuramenti delatione excluduntur. *l. 28. princ. D. h. t.*

19. Sacramentum religionis sine discrimine sexus, ætatis aut conditionis cuivis intelligenti deferri potest. *l. 26. princ. D. h. t.*

20. Excipiuntur ab hac iuramenti præstatione Clerici. *l. cum Clericis. 25. §. 1. in fin. C. de Episc. & Cler.* maximè corporali (hoc est tactis sacrosanctis Evangeliiis. *Gothofred. ad l. 3. C. si min. se mai. l. 1. C. si advers. vendit.* Ut verò in instrumento iurent, faciliùs permittendum, quia id minus est. *l. 3. C. si min. se mai. dix. l. ult. D. stellion.* Et in edicto Prætoris conceptum refert Gellius, Virginem vestalem & Flaminiem Dialem in mea iurisdictione iurare non cogam. *lib. 10. cap. 15.*

21. Quo privilegio ac prærogativâ gaudere possent Ecclesiarum nostrarum Proceres, ac quosvis sinceros verbi divini præcones rationi ac religioni maximè conveniens est, de quo fusè *D. Frid. Balduin. Cas. Consc. lib. 2. c. 9. cas. 5.*

22. Clericis & personis iam memoratis placet etiam adiungere Patrem vel heredem delinquentis, cui ius iurandum deferri non debet, ut iurèt filium vel defunctum non deliquisse. Iniquum enim est alium de alieno facto
sive

sive delicto iurare. *l. 11. §. 1. D. de Act. rer. amot.* Et proinde nemini deferendum iusiurandum in delicti causa nisi ei, qui deliquisse dicitur *vid. Colleg. Jurid. Argent. th. 20. h. t.*

23. Materia circa quam quod attinet, iurari potest in omnibus causis pecuniariis, *l. 3. §. 1. l. 13. §. ult. l. 34. princ. D. h. t.* sive sit actio in rem, ut rem suam esse, usumfructum ad se pertinere, hereditatem suam esse. *l. 9. §. ult. & l. 11, l. 15. §. 1. l. 25. D. h. t.* sive in personam, ut, aio te mihi dare oportere, vel facere, sive in factum, sive poenalis, sive interdictum, *l. 3. §. 1. D. h. t.* sive actio quævis alia sit, iurare licitum est. Nimirum (1) in popularibus rectè defertur iusiurandum. *l. 30. §. 3. D. h. t.* (2) in actionibus quæ inficiando crescunt, *d. l. 30. in princ. D. h. t.* (3) in iudiciis famosis. *l. 9. §. 2. D. h. t.* Denique quædere iurari possit, abunde docet, *l. 3. §. 1. & seq. & l. 34. D. h. t.*

24. Notandum hîc, cum contra quem in famoso iudicio iuratum est, non illicò infamiæ notâ notari, verùm iusiurandum secutâ sententiâ iudicis, pro infami iudicari. *l. 1. D. de his qui not. infam. l. 9. §. 2. D. h. t.*

25. Forma iurisiurandi litis decisorii, ut plurimum ad hunc formatur modum: Deum testor, vel, iuro, rem meam esse: vel, petitoris non esse: vel, reum mihi ex illa causa dare oportere: vel petitori me nihil dare oportere &c. *l. 9. §. 3, 5, 7, l. 11, §. 2, l. 13. §. 1. D. h. t.*

26. Hoc tamen in omnibus iuramentis tenendum ut in Repub. nostra Christianâ, in nullius, nisi solius Dei nomine iuretur, sive in iudicio, sive extra iudicium. *Conf. Exod. c. 22, v. 11, Deut. 6, v. 13, c. 10, v. 20, Matth. 5, v. 33, seqq. Rom. 14, v. 11, Exempla vide Rom. 1, v. 9, Gal. 1, v. 20, Phil. 1, v. 8, Apoc. 10, v. 6, his adiunge l. si qui 41, C. de Transact.*

27. Ergò falsa blasphemaque illa iuramenta, quæ non Creatorem, sed creaturam testem invocant, *per c. 26, de jurejur.* Falsum atq; prohibitum iuramentum per Cœlum,

B

Ter-

Terram, caput, templum, &c. *Matth. 5, v. 36*, quia per quæ quis jurat, facit Deo majora, cum tamen longè infra Deum sint posita omnia: & propterea non est omninò per ea jurandum. *videatur hac de re C. 1. A.* Leguntur quidem veteres in populo Dei non semper expresso, semper tamen intellecto nomine Dei jurasse. *Deut. 4, v. 26. 1, Reg. 2, 20, v. 3.* Sic Josephus per salutem Pharaonis jurasse legitur *Gen. 12, v. 15.*

28. Hodie pluribus in locis juratur per Deum & sacrosanctum Evangelium. Ubi sacramento se obstringentes, Deum O. M. precari videntur, ut si falsum iurent, tum misericordiâ Dei ac Evangelii solatio, quod omni verè credenti est potentia ad salutem *Rom. 1, v. 16.* carere velint. *vide C. 1. A. thes. 14, h. 1.* Modus tamen jurandi maribus est alius, alius foeminis: Mare's, erectis duobus digitis primis; foeminæ, dexterâ ad sinistram pectus admotâ, *Wesenb. paratit. D. h. t. n. 6.* jurant: hinc juramentum hoc pacto factum, dicitur jusiurandum corporaliter præstitum in *d. l. 1. C. si adv. vendit. l. 3. C. si min si maj.* Huic, quod opponitur, vocatur iusiurandum in Instrumento præstitum *d. l. 3. C. si min si maj. l. 1. D. stellionat.*

29. In Romano - Germanico Imperio Principes illustresque personæ formulâ utuntur iurandi: **Bei Fürstlichen/Gräfflichen/Adelichen Ehren/Trew vnd Glauben.** *Mynsing. cent. 1. obs. 17. Gail. 2. obs. 59.* citante *Treutl. Dissut. 21. vol. 1. thes. 1.* Wesenbecius formulam: **Bei seinen Christlichen vnd wahren Worten**/rectiùs pro iuratâ fide habendam esse statuit *conf. 52, num. 39, vol. 2.* Quod tamen dubio non caret. In Curiis, Hungaricis, seu sedibus iudiciariis iuramenti formulâ cuiusvis religioni accommodata usurpatur. Quæ consuetudo pro fundamento niti posset. *l. 5. D. h. t.*

30. Tenendum insuper diligentissimè ut iusiurandum eo, quo delatum est modo, præstetur. *l. 33. l. 3. §. 4. l. 5. h. t.*

fin

fin aliter iuret, iurasse non videtur, & idcò solenniter ex integro iurandum est. *l. 3. §. ult. l. 4. l. 5. in princ. h. t.*

32. Cum porrò iusiurandum tam excellentem habeat auctorem, diligentissimâ curâ cavendum est, ne temerè, ut monet J. C. Ulpianus in *l. 13. §. fin. D. h. t.* (προπετῶς μὴ ὀμνῆ) sed animo considerato fraudisque omnis experte iuret. Simplicitas enim vel maximè iuramento convenit. *Grot. de Iur. Bell. & Pac. lib. 2. c. 13. n. 4.*

32. Nihil valet ergo heic versutissimi Regis Lysandri dictum: pueros talis, viros iuramentis decipiendos. Eodem loco habendum est & illud: lingua iuravi, mentem iniuram gero *Cic. lib. 3. offic. n. 108.* sed sobriorem saniolemq; mentem profert Isidorus: quacunq; arte verborum quis iuret, Deus tamen, qui conscientiae testis est, sic illud accipit, sicut ille, cui iuratur, intelligit *lib. 11. de Sum. Bon. c. 22.* Augustinus: & qui per lapidem iurat, si falsum iurat, periurus est. Deinde: non te audit lapis loquentem, sed punit Deus fallentem. *Epist. ad Publicol. 254.*

33. Jurisjurandi finis pariter & effectus ex eo claret clarissimè quod litibus, quarum remotio Reipublicae tranquillitati maximè salutaris, finem imponat, *l. 1. D. h. t. c. 2. eod.* Sacramenti timore contentiosa litigantium instatia compescitur *l. 1. princ. in fin. C. de Jurejur. propter calumn.* Et Divus Paulus *Hebr. 6. v. 16.* omnis controversiae terminus est iusiurandum ad confirmationem adhibitum. Cui simile est illud Philoneum: ὄρκου μαρτυρία θεῶν περὶ πραγμάτων ἀμφισβητούμενα. Hinc in bonae fidei contractibus, nec non etiam in caeteris causis inopiâ probationum iuramento res decidi permittitur *l. 3. C. h. t.* Eandem vim & efficaciam sacramento religionis tribuit ius Hung. consuetudinarium, quòd scilicet omnes communes inquisitiones iuramentali depositione terminentur, *Tripart. part. 2. tit. 32.*

B 2

34. Prae-

34 Prætereà iusiurandum habetur pro veritate & vicem rei iudicatæ obtinet *l. 8. C. h. t. l. 1. in princ. D. quar. rer. act. non dat l. 56. D. de re judic.* immò maiorem auctoritatem habet, quàm resiudicata *l. 2. D. h. t.* à re enim iudicatâ seu sententiâ appellari intra præfinitum à legibus tempus potest, à præstito iuramento non item *l. 5. §. 2. D. h. t. l. 1. C. de re judic.* quia dato iuramento non quæritur amplius verum an falsum quis iuraverit *l. 5. §. 2. D. h. t. l. 12. §. 3. C. eod.* Et semel causâ decisâ iuramenti præstatione, ne quidem periurii prætextu retractari potest. *l. 1. C. h. t. & l. 31. D. h. t.* sed religioni standum est, cum sufficiat poena periurii *l. 21. cum l. seq. D. de dolo malo.* nisi iusiurandum in supplementum probationis à Iudice sit delatum, tunc enim novis instrumentis repertis, ex integro causam agere quis potest. *l. 31. D. h. t.*

35. Quo fundamento Damhouderus *prax. civil. c. 48. n. 25. 26.* concludit, contractum à majore idoneoque iuratum, licet ultra dimidium iusti pretii deceptus fuerit, eundem rescindi non posse, tum propter justam ætatem, tum iuramenti religionem cuius Christianorum tenacissimè servandam, quæ ob nullum commodum temporale contra Deum ac conscientiam nequiquâ violanda. Etenim, tam sponsiones quàm fœdera sancta sunt apud eos homines apud quos juxta divinam religionem fides humana colitur. *Postumius apud Livium l. 9. c. 9.* Inde Eumenes religione sacramenti motus dixit: Vitam se potius positurum quàm fidem. Et Imp. Carolus V. etiamsi fides toto terrarum orbe exularet, tamen Imperatori tenendam esse. Principum enim fides pro iuramento valet *Grot. de Iur. Bell. lib. 2. c. 13.* immò

— — nudo ius & reverentia verbo

Regis inesse solet, quovis iuramine major.

Guntherus Ligurin. lib. 3.

36. Et quemadmodum sacratum iurisjurandi ius instrumentum ad obstringendam fidem aptissimum: ita non minus aptum est ad solvendum, quippe cum non so-

lūm civilem *l.27.l.28. § 1. D. h. t.*, sed & naturalem obligationem solvere valeat. *l. ult. princ. h. t. l. 95, § 4. D. de solut.*

37. Ex jurejurando autem actio, qua experiri possit actor sive reus, sive is ad quem res, de qua juratum est, pertinet, dicitur actio in factum *l. 11, § 1. D. h. t.*; actio utilis *l. 11, § ult. l. 29, D. h. t.*; actio nova *l. 9, § 1.*; ob quam tamen actio vetus & principalis non tollitur, sed vires retinet integras *per l. 30, princ.* cū & aliās actio actionem in una eademque re non consumat *l. 18, D. de Obl. & Act.*

38. Hic quæri licet, an à sententia judicis in causā jurejurādo decisā pronūciantis appellari possit? *N. arg. l. 2. h. t.* Causas enim vel lites transactionibus legitimis finitas imperiali rescripto resuscitari non oportet. Jam verò jusjurandum speciem transactionis continet: majoremque habet auctoritatem quàm res judicata *d. l. 2. arg. l. 5, § 2, D. h. t.*

39. Jurijurando in primis est contrarium Perjurium, quod toties occurrit, quoties scienter & dolo malo falsum juratur. Quare perjuri reus is est, qui sciens fefellit: hæc enim solemnia jurisjurandi erant verba: si sciens fallo, me Diespiter, salva urbe arceque, bonis eiiciat, ut ego hunc lapidem. *Cujac. 1. obs. 21.*

40. Estque perjurium nihil aliud, quàm mendacium juramento firmatum. Non autem omnis falsa loquela est perjurium ut patet ex mendacio Isaaci *Gen. 26, v. 7.* Josephi, *Gen. 44, v. 2.* obstetricum *Exod. 1, v. 18.*

41. Perjuri divinæ vindictæ rei omnibus temporibus gravissimis adfecti suppliciis leguntur. Testes laudo censores Romæ, qui nullare magis & severiùs quàm de perjurio judicare sunt soliti. *Alexand. ab Alex. lib. 1. c. 13.* Apud Ægyptios perjuri capite plectebantur, tanquam qui duplici tenerentur scelere: ut, qui pietatem in Deum violarent & fidem inter homines tollerent, maximum societatis humanæ vinculum *Ioan. Bohem. lib. 1. mor. om. gent. c. 3.*

42. Ne-


42. Neque ætate nostrâ civilium turbarum periuriorumq; fertilissimâ periuris parcitur. Puniuntur (1) ex iure divino. Scriptum enim est, non peierabis in nomine meo *Levitic. 19. v. 12, Matth. 5, v. 33. Zachar. c. 5, v. 4.* maledictio commorabitur in domo iurantis in nomine meo mendaciter. Vera & pia est mens principis Jurisconsultorum Jacobi Cuiacii *lib. 2. obs. c. 19.* si per Deum peieratum sit, Deus ipse vindex est periurii, & ob id à Græcis Jupiter ὄρκι & dictus est. Et Tiberius apud Cornelium Tacitum, Deorum injurias Diis curæ esse *lib. 1. annal c. 73. in fin.* (2) Ex jure civili periuri variis adficiuntur pœnis. *l. 2. in fin. C. de indict. viduit.* Scilicet, exilio temporali *l. ult. D. stellion. infamiâ l. 41. C. de Transact.* dignitatis amissione *l. 1. C. de Dignit.* Gothofredus *ad d. l. 41 C. de Transact* periurii pœnas his brevissimis complectitur: recedentem à transactione iurata quatuor pœnis subiici: fieri infamem, actionem amittere, pœnam promissam luere & accepta restituere. In Jure Hungarico perjurii pœna varia est & acerba: amittit enim periurus universa bona sua Fisco regio applicanda & res mobiles, perpetuo & despectuoso habitu incedit, disparibus vestibus, zonâ canabea succinctus, discalceatis pedibus, & nudato capite, omnes contra ipsum, & ipse cōtra neminē agit, nisi defendēdo se tantūm, & inter alios Christicolas, amissō humanitatis honore, tanquam ab humanitate relegatus & segregatus manet. *Joan. Kitonich process. judiciar. c. 9. q. 25. Tripart. part. 1. tit. 30. & 5. Vlad. art. 1.*

43. Tandem, iterum ad te, mansuetissime Deus, venio, Te, cui omnes meos actus cogitationesque sacras esse cupio, pro hac auxiliū tui gratiā & cæteris innumeris tuis benignitatum cumulis summissō pectoris cultu veneror atque magnifacio. Summa tibi virtus, gloria
laus & honos. AMEN!

FINIS.

734.






X 2615926

VD.17





727.

A. 19

IRIDICA

RANDO

SORIO.

1632, 4.

gentoraten-

ia,

D E

sultissimo,

- DAVIDE

ET P. P. Præ-

o aternum

n 20. Decembr.

proponit

EMPIUS,

nicus.

ATI

S R E P P I,

XII.

